

¶ in mixto sunt multorum germanorum capita sine ceruice sed postea per annuitiam facientem conuenire germana fiunt et homogenea et ununtur ceruices alijs partibus corporis.

¶ Notandum preterea sicut dicit philosophus hic multi philosophorum secuti sunt veritatem in aliquibus non quasi ab aliqua ratione moti sed sicut ab ipsa veritate coacti. vnde dicit philosophus primo metha. Et. S. T. lec. vi. q. erant sicut ineruditi in bello qui circumdanti sepe bonas plagas faciunt. Item dicit quod balbucius erat eorum philosophia. vnde recte dixerunt omnes antiqui philosophi ponentes contrarietatem in principijs. vnde permenides licet diceret esse vnum finem rationem tamen posuit plura principia finem sensus scilicet calidum et frigidum. Et attribuebat calidum igni frigidum vero terre. Aliqui autem ponebant vnum principium cum quadam contrarietate que est inter rarum et densum. Si dicas ex quo rarum et densum erant principia quomodo ergo posuerunt tantum vnum principium. Dicendum quod dicuntur posuisse tantum vnum principium materiale. Democritus ponebat omnia fieri ex indiuisibilibus corporibus que in suo contactu relinquerebant quasdam vacuitates quas vocabat poros et sic ponebat corpora componi ex pleno et vacuo que sunt principia nature. Et si queratur ex quo ista indiuisibilia sunt eiusdem nature. An omnia composita sunt eiusdem speciei dicunt quod non sed diuersificatur finem diuersitate figure sicut dictio ex ordine litterarum ut sum et mus. positionis et ordinis. vnde ponebant principia esse contraria que sunt in genere positionis scilicet sursum et deorsum ante et retro.

¶ Notandum preterea quod ad ostendendum prima principia esse contraria supponitur quod tria videtur esse de ratione principiorum. Primum quod non sunt ex alijs finem quod non sunt ex alterutris. tertium quod omnia alia sunt ex eis. Sed hec tria conueniunt primis contrarijs ergo principia sunt prima contraria. Ad intelligendum autem quid vocet prima contraria considerandum quod quedam contraria sunt que ex alijs contrarijs causantur sicut dulce et amarum causantur ex humido et sicco calido et frigido. Et quia non est procedere in infinitum ideo deueniendum est ad contraria que non causantur ex alijs. Et hec vocantur prima contraria. His igitur tres conditiones principiorum conueniunt quia enim sunt prima ideo non sunt ex alijs quia vero sunt contraria ideo non fiunt ex alterutris. Quis enim frigidum fiat ex calido in quantum id quod prius erat calidum fit frigidum tamen ipsa frigiditas non fit caliditas. Tertium vero scilicet qualiter omnia fiant ex contrarijs ostenditur premittendo quod neque actio neque passio potest accidere inter ea que contingunt simul esse vel inter quecumque indeterminata ut album non fit ex musico nisi secundum accidens forte in quantum musico accidit nigrum vnde album fit per se ex non albo quod est nigrum vel medio colore coloratum et musicus fit ex immusico id est quod est natum habere musicam et non habet. Similiter album non corrumpitur in musicum ut qui desinit esse albus non statim fit bonus cantor quod enim fit et corrumpitur non est antequam fiat nec est postquam corrumpitur. vnde quod per se fit ex alio oportet quod in sua ratione includat non esse alterius siue in compositis siue in simplicibus sed magis latet in compositis quia opposita compositorum non sunt nominata. Oppositum enim domus non est nominatum. Composita autem fiunt ex incompositis

Ex quo patet quod omnia fiunt aliquo modo ex contrarijs vel medijs media autem fiunt ex contrarijs sicut colores medijs ex albo et nigro.

¶ Notandum preterea quod in assignando principia contraria philosophi differabant quidam enim accipiebant priora contraria alij autem accipiebant posteriora. Item quidam capiebant priora secundum naturam quidam vero secundum sensum ut humidum et siccum calidum et frigidum sunt notiora secundum sensum calidum tamen et frigidum quia sunt qualitates actiue sunt priora humido et sicco quia actiuum naturaliter est prius passiuo. Pythagorici posuerunt numerum parem et imparem esse principium et ista sunt notiora secundum rationem.

¶ Notandum preterea quod vniuersalia sunt notiora secundum rationem ut magnum et paruum singularia vero secundum sensum ut rarum et densum que sunt minus communia. Item semper vnum contrariorum se habet ut melius et aliud ut peius quia semper alterum habet priuationem sui oppositi admixtam. Principium enim contrarietatis est oppositio priuationis et habitus. ut dicitur in. x. metha.

¶ Notandum preterea secundum. S. T. super. T. c. lviij. quod omnia contraria que sunt in genere substantie non differunt genere sed se habent sicut prius et posterius quia in vno genere est tantum vna contrarietas scilicet prima eo quod omnes alie contrarietates reducuntur ad vnam primam. Item si accipiat ipsum quod est substantia nichil est ei contrarium. Si vero accipiantur formales differentie in genere substantie contrarietas in eis inuenitur. Si autem queratur que sunt illa principia que nos dicimus esse contraria. Dicendum secundum aliquos quod sunt forma substantialis et priuatio. Tertium autem est principium scilicet materia et hoc alijs non contrariatur quia contraria non possunt esse simul. Materia autem potest esse cum aliqua priuatione et cum aliqua forma.

¶ Ex his patent tres conclusiones quarum vna posita est contra anaxagoram. Secunda quod non quodlibet fit ex sibi similibus. Tertia quod principia rerum naturalium sunt contraria.

¶ Contra hec arguitur principia rerum naturalium sunt priuatiue opposita ergo non contrariantur antecedens patet quia vnum vocatur priuatio et aliud forma. Item substantie nichil est contrarium sed forma substantialis est substantia igitur. Item contraria sunt forme positie sed priuatio non est huiusmodi ergo nulli contrariatur.

¶ Secundo contraria sunt forme actiue sed priuatio non est actiua igitur. Item que est illa priuatio que contrariatur forme sortis si sit priuatio alterius forme ergo contraria sunt simul. si sit priuatio forme sortis. contra illa non est principium sortis ergo principia sortis non sunt contraria. Item celum est res naturalis et tamen sua principia non sunt contraria alias esset corruptibile. Dicendum quod celum est natura leid est mobile sed non ad formam substantialem.

¶ Tertio contraria sunt sub eodem genere ergo non sunt prima principia quia genus est principium omnium que sub eo continentur. Item caliditas et frigiditas sunt prima contraria ergo prima principia de genere substantie non sunt prima contra. ut dictum est. Si forte aliquis velit sequi auicennam et auerroem in solutione questionis dicentes quod contraria sumuntur dupliciter scilicet large et stricte. Stricte enim sunt